

Placet nationi Saxonum quod scribatur domino episcopo responsum super utraque littera, quarum prima continuit captivationem ad instanciam episcopi Cziczensis, secunda vero captivationem in causa heretice pravitatis, et addatur in littera, quod universitas non intendit quietare magistros civium, quia violaverunt libertatem universitatis quam iuraverunt coram domino antiquo principe manu tenere. Item placet quod dominus rector cum condeputatis iterato visitet magistros civium eos serius requirendo, ut restituant predictos captivos honorifice iuxta votum nationis prius datum, quod si negaverint, mox imploretur auxilium domini nostri ducis et eciam aliorum conservatorum universitatis. Item quod constituatur generalis syndicus, qui hanc iniuriam revocet ad animum nomine totius universitatis, que semper dolebit de predictorum captivatione. 10

Placet nationi Misnensium quod scribatur domino episcopo, quod universitas ab impetitione civium nullo modo desistere velit propter violenciam factam, et quod supplicetur domino episcopo, quatenus remittat nostros constudentes et universitatem in privilegiis prioribus conservet. Rector enim pronus est cuilibet administrare iusticiam in singulis causis, si vero paternitas sua hoc recusaverit, universitas querimoniam contra eum coram domino nostro gratioso duce Saxonie, fundatore huius universitatis, proponere intendat. Et si alicui nationum placuerit, placet quod quidam mittantur ad alium conservatorem, videlicet decanum Nuenburgensem ei supplicando, quatenus universitatem in privilegiis prioribus conservet et interdictum interponet. 15

Die Universität bittet den Bischof von Merseburg, ihr die beiden verhafteten Studenten Burchard und Johannes Scheff auszuliefern, mit der Versicherung, sie wieder zurückzuschicken, falls sie bei ihren ketzerischen Ansichten verharren sollten.

Leipzig, 1446 Apr. 24.

Hdschr.: Universitätsbibliothek: Leipzig Cod. mscpt. No. 176 fol. 327^a.

Post humilem recommendacionem, reverenciam et obedienciam tam debitas quam devotas, reverende pater ac domine graciose. Scripta duplicia vestre paternitatis in causa dominorum nostre universitatis suppositorum, Burchardi videlicet et Iohannis Scheff, per paternitatem vestram iam in vinculis detentorum, ea qua decuit reverencia recepimus atque in plena congregatione tocius universitatis lecta masticavimus diligenter, que non plene sed sub ambiguo principalem intencionem paternitatis vestre nobis designabant. Tum quia prima littera accusationem seu querelam domini Nuemborgensis super predictis detentis, arrestationem librorum ipsorum et quedam alia, secunda vero principaliter ordinariam vestram iurisdictionem in eos vos velle et debere exercere racione suspicionis certarum opinionum in causa fidei et quedam alia continebat, et quia contra universitatis nostre libertates et privilegia, quarum paternitas vestra tutor et conservator principalis dinoscitur bene dignus, ymmo in decrementum et confusionem non modicas iidem duo 25 30 35